

Pesso additus, fœtus detrahit. Eius verò decoctum, aluum sif sit: quin & potu sanguinis reiectionem cohibet, vrinaque difficultatem ac inflationes discutit.

*De Musco.*

C A P . X X .

**M**USCVS, Græcis bryon, à nonnullis etiam splanchnon appellatur. In arboribus, cedro, populo alba aut queru reperiatur. Præstat verò cedrinus: proximus huic populneus: quo in genere probatur, qui odoratior est & candidus: nigricans autem, deterior censetur. Muscus astringendi vim habet, in caliditate ac frigiditate medius, factique decoctus infessu ad vulvæ affectus. Miscetur & vnguentis balaninis ac oleis seu illitibus, propter eam qua præditus est inspissandi vim. Est & ad suffituum & acoprum medicamentorum præparationes utilis & accommodatus.

*De Gallocho.*

C A P . X X I .

**A**GALLOCHVN lignum est, quod ex India & Arabia deportatur, thyæ ligno simile, punctis maculïsve distinctum, odoratum, gustu quodammodo astringens cum quadam amaritudine, cortice vestitum cutis instar molli & aliquantulum versicolore. Facit autem commanducatum, itemq; decocto collutum, ad commendandum oris halitum: ac toti quoque corpori siccum tritumque

tumque odoris gratia inspergitur: ad suffimenta denique thuris instar adhibetur. Radix vero drachmae vnius ponderem pota, stomachi superfluos humores, imbecillitatem ardoremque mitigat. Iis quoque quos latenter & iecinoris dolor excruciat, ac dysentericas aut torminosis ex aqua bibita opitulatur.

*De Nasaphtho. CAP. xxii.*

**N**ASCAPHTHVM, aliis narcaphthum, etiam ex India defertur. Est vero corticosum, mori libro simile, quod iucundi odoris gratia sufficitur. Factitiis suffimentis infieritur: vulnain quoque astrictam suffituiuunt.

*De Cancamo. CAP. xxiii.*

**C**ANCAMVM est arboris Arabicæ lacryma, myrrham quadantenus referens, viro si gustus: qua quidem tanquam suffimento utuntur. Ea quoque vestes, additis myrrha & styrace, suffumigantur. Porro corpora obesa emaciandi vien habere prohibetur, si ternum obolorum pondere ex aqua aut acetato mulso plusculos dies ebibatur. Datur & lienosis, comitialibus & suspiriosis Menses ex aqua mulsa prolicit. Ocalorum cicatrices confestim exterit, & eorundem hebetudinibus medetur, vino dilutum. Quin & aduersus gingiuas humore prægnantes, &

32 D I O S C O R I D I S

ad dentium dolores tam est efficax, quam  
quod maximè.

*De Cyphi.* C A P . X X I I I I .

C Y P H I suffimenti compositio est Diis  
grata & accepta, qua Ægyptij Sacerdo-  
tes abundè vtuntur. Sed milctetur & anti-  
dotis, ac suspiriosis datur in potu. Plures ve-  
rò circumferuntur componendi rationes:  
quarum vna hæc est: Sumito cyperi dimi-  
dium sextarium, crassiorum iuniperi bac-  
earum tantundem, vuarium passarum pin-  
guum à vinaccis expurgatarum minas xij.  
resinæ repurgatæ minas v. calami aromati-  
ci, aspalathi & iunci odorati singulorum mi-  
nam, myrrhæ drachmas xij. vini veteris sex-  
tarios ix. mellis minas ij. Vuam passam ex-  
emptis nucleis tundito, & cum myrrha ac  
vino subigit: cætera verò tusa & cibrata  
his admisceto, sinitoque humorem combi-  
bere diem vnum. Deinde cocto melle dum  
sibi glutinis asciscat crassitudinem, eliqua-  
tam resinam ei accuratè permisceto, ac tūm  
demum etiam reliqua diligenter simul con-  
trita: tandem vase fictili recondito.

*De Croco.* C A P . X X V .

C R O C U M in vsu medico præstantissi-  
mum est Corycium, recens, ac probè  
coloratum, paulum candidi gerens in ca-  
preolo, oblongum, suis partibus omnibus  
constans,

constans, minimè fragile aut pingue, plenum, cuius dilutum manus inficiat, non cariosum aut humidum, odore illiciens ac leuiter acre. Nam quod tale non est, aut vetustum est, aut maceratum. Secundum verò à Corycio locum obtinet, quod è tractu Lyciæ contermino, itemque quod ex Olympo Lyciæ monte: mox quod ex Ægis Æoliae defertur. Cyrenaicum verò, & quod ex Centuripino Siciliæ agro, viribus minus pollent: quippe cùm sint omnia olerum instar sativa. Veruntamen propter succi copiam & coloris bonitatem, qui in Italia ligna thyina inficiunt, hoc postremo vtuntur: atque ideò etiam magno venditur: sed ad medicamenta quod primo loco descriptum est, vtilissimum existit. Adulteratur autem admixto crocomagmate tuso, aut sapæ sublietu, intrita simul, quò pondus adiiciatur, argenti spuma aut plumbagine. Sed maleficium indicant, tum quod occurrit puluerulentum, tum etiam defruti odor. Porro vim habet crocus concoquendi, emolliendi, leuiter astringendi, & vrinas ciendi. Eleganter colorem præstat, crapulamque arcit, ex passo bibitus: oculorum fluxiones illitus ex lacte muliebri cohibet. Miscetur & vtiliter potionibus quæ ad internos parantur affec-  
tus, itemque subdititiis nodulis & ca. apla-

C. j.

## 4 D I O S C O R I D I S

Imatis utero sedive adhibendis. Venerem quoque stimulat, inflammationesque erysipelate comitatas inunctus demulcit: ac deniq; ad auriculares inflammationes cōfert. Aiunt etiam exitiosum esse, si trium drachmarum pondere ex aqua bibatur. Quò verò facilius ad summum lauorem conteratur, apud solem in siti calido exiccari, támque celeriter identidem versari oportet. Cæterū & ipsius radix ex passo pota, vrinas mouet.

*De Crocomagmate. CAP. XXVI.*

**C**ROCOMAGMA ex crocino fit vnguentum, expreſſis aromatis & in pastillos digestis. Probatur quod odoratum est, modice myrrheum, ponderosum, nigrum, lignamentorum expers: quodque ſufficienter dilutum croci colorem reddat, laue, subamarum, ac dentes linguamque vehementer & ad horas multas permanente colore inficiens. Tale verò eft, quod è Syria defertur. Vim habet ea detergendi quæ pupillis caliginem offundunt, vrinam ciendi, molliendi, concoquendi & excalfaciendi. Denique ad croci vires quadantenus accedit: quippe cuius etiam plurima parte fit particeps.

*De Helenio. CAP. XXVII.*

**H**ELENIVM folia habet verbasco angustioribus foliis prædicto similia, sed asperiora.

asperiora & oblonga: caulem verò quibusdam in locis non emitit. Radice est subrufa, odorata, grandi, subamara: ex qua ad confectionem, velut in serendis cinaris, opimi & insignes oculi decerpuntur. Prouenit in montibus, locis umbrosis & humidis. Aestate radix eruitur, & concisa siccatur. Huius decoctum potum, vrinas mensisque ciet. Ipsa verò radix in eclegmate sumpta cum melle, prodest tussi, orthopnoe, ruptis, convulsis, inflationibus & venenatorum morbis: quippe quae in vniuersum excalfaciendi vi polleat. Folia ex vino decocta utiliter ischiadicis illinuntur. Est & radix stomacho utilis, dulci misto condita. Siquidem salgamarij paululum exiccatam eam, mox decoctam, aqua frigida demergunt: postea in defrutum coniiciunt & ad usum reponunt. Trita potaque ad sanguinis refectiones est efficax.

*De Helenio Aegyptio.*

CAP. XXXVIII.

Helenij genus alterum in Aegypto gigni Crateas memorat. Herba verò est ramis cubitalibus, serpylli modo humi sese spargentibus: foliis lenticulae proximis, sed longioribus numerosisque circa ramulos: radice pallida, digiti minimi crassi studine, ac per ima quidem tenui,  
C. ij.

supernè verò crassiore , nigro vestita cortice. Nascitur locis maritimis & tumulosis. Radix vnicā ex vino bibita , contra serpentium iētus auxiliandi vim habet.

*De oleo omphacino. CAP. XXIX.*

**O**LEVM ad vsum per sanitatem optimū, quod, quia ex crudis & acerbis seu immaturis oliuis exprimitur, crudum nec non etiam omphacinum appellatur. Excellit in hoc genere recens, minimè mordens, atque odoratum. Est & tale ad vnguētorum compositionem vtile: quinetiam propter astrigendi vim stomacho accommodatum. Ore si contineatur, gingiuas contrahit, dentēsque firmat: sudores denique cohibet.

*De oleo communi. CAP. XXX.*

Quod vetustius ac pinguius est, ad medicamentorum vsum est accommodatum. In yniuersum autem oleum omne calfaciendi viro habet, carnaem emollit, corpus contra algores munit, ipsamque ad actiones obcundas expeditius reddit. Bonam etiam aluum facit, estque molliendi vi præditum. Exulcerantium medicamentorum vires permixtum hebetat. Exhibitetur quoque contra venena, sic ut subinde bibatur ac reuomatatur. Purgat, heminæ mensura cum pari ptifanæ succo aut aqua epotum. Torminosis utiliter datur in potu cum ruta decoctum sex

sex cyathorum mensura, lumbricisque pel-  
lit. Infunditur & id ipsum ad ileosos maxi-  
mè affectus. At vetus tum magis excalfacit,  
tum etiam vehementius discutit, & ad ex-  
euendam oculorum aciem sublinitur. Sin  
desit vetus, haec præparatione opus est: De eo  
cuius est copia quod præstantius erit in vas-  
defundito, & ad mellis crassitudinem deco-  
quito, atque ita vtior. Eandem enim cum  
prædicto vim asciscit.

*De oleo sylvestris olive.* CAP. XXXI.

Quod è sylvestri oliua exprimitur oleum,  
vehementius astringit, & ad usum sanorum  
secundum sibi locum vendicat. Caput do-  
lentibus rosacei vice conuenit. Sudores si-  
stit, & defluos capillos inhibet. Quinetiam  
furfures & ulcera capitis manantia, scabiem  
ac lepras extergit: moraturque canos, si  
quotidie illinatur.

*De oleo Cæsidis confectione.* CAP. XXXII.

Candidatur oleum hunc in modum: Su-  
mito album colore, nec anniculo vetustius,  
& in fistile nouum lati oris infundito cen-  
tum heminarum mensura. Mox in sole ex-  
positum quotidie circa meridiem concha  
refundito, ex alto deturbans, ut frequenti  
volutatione ac verberatu agitatum altere-  
tur & spumescat. Octaua deinde die foenum  
græcum purgatum drachmarum quinqua-  
C. iij.